

venientibus, obsidionem soluit, & cum Bulgaris pacem firmavit, accepta in uxorem ducis eorum filia. Cùmque domi forisque prudenter se gereret, vrbe bene munita, & firmo præsidio in ea collocato, in Thessaliam profectus, Gulielmum Bonifacii filium Thessaliæ regem constituit. Inde ad Imperii administrationem reuersus, cunctis ordinatis & dispositis, intempestiua morte decessit, Tholanta filia Petro Antisiodorensi nupta, hærede relicta post annum Imperii x i.



P E T R V S Antisiodorensis Comes, Henrici Flandrensis gener uxorio iure, eùm nulla mascula adesset proles, Imperator Constantinopolitanus creatus est. Post electionem cum coniuge Romam profectus, à Pontifice Honorio extra urbem ad Laurentii templum insignia Imperialia accepit. Inde uxore Constantinopolim præmissa, ipse Dyrrachium, quod Theodorus Lascaris, qui se Imperatorẽ gerebat, occupauerat, obsidione cinxit. Sed expugnatione frustra sæpius tentata, vtpote quæ copioso milite, firmoq; præsidio defensabatur, soluta obsidione, acceptaq; à Theodoro fidei publicæ securitate, Macedoniae vrbes mediterraneas inuisere constituit. Ad nemorosa igitur Thessaliæ loca delatus, cùm ad saltus ascendisset, in paratas à Theodoro insidias incidit, ac contra iurisiurandi fidem abductus, & in teterrimum carcerem coniectus, tandem obruncatus est. Imperium interim uxore eius administrante, donec Robertus filius ex Galliis accerferetur.

ROB